



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

§. 18. Papa ab Hispanis decimas petere constituens

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

ciis, ac Sacerdotiis cumulari, indigenis inde exclusis. Hoc Cardinalis nuncio haud parum terrebatur Bruxellensis Senatus, quapropter decreto mox Regis discessu, classis ex Hispaniæ portu solvit, ut Regem cum tota sua Curia e Belgio ad Regnum deveheret.

Sæcul. XVI.
A.C. 1517.

§. XVIII.

Papa ab Hispanis decimas petere constituens.

Hoc itineris intervallo Ximenius vix non cum Pontifice simultatem suscepisset, cum enim magnificentiæ, qua Leo delectabatur, explendæ nec ærarium Apostolicum, nec reditus ex aliis Christianorum Provinciis collecti sufficerent, ad specialia confugere media necessitas fuisset; quapropter, cum Hispania summis Pontificibus singulari obsequio addicta esset, atque ambo Episcopi Toletanus, & Cæsar augustanus, qui tum rerum summam moderabantur, pro Sede Apostolica se totos devoverent, Pontifex Nuncio suo tum in Hispaniis agenti Bullam transmisit, qua triennales decimas ex omnibus beneficiorum redditibus cogere jubebatur.

*Petrus Ang.
ep. 596.
Spond. ad
ann. 1517.
num. 7.*

Speciosus hujus exactionis obtendebatur prætextus (*); spargebatur enim infriu-

(*) An is fuerit duntaxat obtentus, vide infra §. XCV.

Sæcul. XVI. infringendæ Turcarum potentiaë necessi-
 A.C. 1517. tas; eoquod hi Persis ac Ægypti Sulta-
 no devictis bellum in Christianos para-
 rent. Ergo Nuncius Apostolicus primo
 Arragonenses convenit, qui tamen om-
 nino, & quidem coacta hanc in rem Na-
 tionis Synodo ejusmodi subsidia exigi
 prohibebant; accepta horum repulsa Ca-
 stellæ Clerum sollicitavit; haud tamen
 magis prospero successu; Tandem Xime-
 nius Cardinalis, qui totius negotii cu-
 ram in se suscepit, literas ad Papam de-
 dit in hæc verba scriptas: „ Beatissime
 „ Pater, si res vere ac serio in Mahome-
 „ tis sectatores gerenda est, non modo
 „ decimas, sed omnes meos census Ec-
 „ clesiasticos, atque omne aurum, ar-
 „ gentumque sacrum dioecesis meæ lu-
 „ benti animo tibi defero; vanus autem
 „ videtur Turcarum timor; certum enim
 „ in Hispania habemus nuncium, Seli-
 „ mum ab Italiæ invasione omnino alie-
 „ num esse, rogo itaque Sanctitatem ve-
 „ stram, ut suam de belli sacri appa-
 „ ratu sententiam diserte aperiat, nam,
 „ nisi justissima de causa, nunquam au-
 „ ctor ero, ut Hispani Sacerdotes vecti-
 „ gales fiant. „

Ximenii votis allusit Pontificis re-
 sponsum; hic enim Nuncium suum a pe-
 tito desistere jussit, nec ultra de decimis
 aut

aut subsidiis in Hispania mentio facta est. Sæcul. XVI.
A.C. 1517.
Adeo Romæ timebatur Ximenii auctori-
tas; nec tamen Papæ Nuncius falso ob-
tentu usus videbatur; quippe Leonis Con-
stitutio in Sedis Apostolicæ ditionibus ri-
gidius, in ceteris vero Italiæ terris mo-
deratius in usum deducebatur.

§. XIX.

*Cardinalis Ximenius propinato vene-
no, lethali feбри absumptus.*

Ximenius, cum res in Castella sua sol-
licitudine ita composuisset, Madrito
profectus, ad regni fines Arandam us-
que contendit, ut ibidem Regis adven-
tum præstolaretur, eoque exscendente au-
læ Ministris vicinior adesset. Comita-
bantur illum Regni Senatores, regius-
que Princeps Ferdinandus, a quo Cardi-
nalis ferme nunquam post Regis Catho-
lici obitum vigiles oculos suos dimove-
bat. Ast Aquileram delatus, sumpto *Bos-Equil-*
prandio adversa adeo opprimebatur vale-*las.*
tudine, ut sanguis non modo ex auri-
bus, sed etiam medius ungues inter &
digitorum carnem proflueret, unde hau- *Gomes. in vi-*
sti veneni suspicio habebatur; quam su- *ta Ximen.*
premi Franciscanorum Præfecti relatio *l. 7.*
haud parum augebat: retulit enim, se *Raynald. ad*
in itinere, quod ad Ximenium officiose *ann. 1517.*
salutandum suscepisset, obvium habuisse *n. 105.*
qu m-